

DE
HABITV VRBIVM *1766, 2^a*
AD REMPVBLICAM
SECVNDVM IVS PVBLICVM
VNIVERSALE

PRAESIDE
DANIELE NETTELBLADT
POT. BOR. REGIA CONS. INTIMIS
ET PROF. IVR. ORDINARIO
P A T R V O S V O
DIE V. APRIL. MDCC LXVI.
DISPVTABIT
AVCTOR ET RESPONDENS
IOANNES IACOBVS NETTELBLADT
ROSTOCHIENSIS.

HALAE,
STANNO BEYERIANO.

DE
HABITA VARIUM
AD REM PUBLICAM
SECANDEM IN PRACTICAM
ANNIVERSARIE



V I R O
PERILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO
D O M I N O
DANIELI NETTELBLADT
POTENTISSIMO BORVSSORVM REGI
A CONSILIIS INTIMIS, ET PROFESSORI
IVRIS ORDINARIO
FAVTORI ATQVE PATRVO SVO
AD CINERES VSQVE PIA MENTE
DEVENERANDO
HOC QVALECVNQVE STVDIORVM SPECIMEN
IN
PIETATIS ATQVE VENERATIONIS TESSERAM
D. D. C.
AVCTOR ET RESPONDENS.

О Р И

ОМЕДИИ ПЕРСИИ

О И М О

ТРАНСЛЯЦИИ

СОЛНЦА ВЪ МИРЕ ДЛЯ ОМЕДИИ ПО
СОВѢТУ СВѢТОВѢГО АДВОКАТА
БІРГЕРІАЛІ

ОДНОГО БЫЛА ПІДАЧА

ІНДІАНСКАЯ ОДІЯ ВЪ СОЛНЦЕВЪДОНІ

СІДІВЪ СІДІВЪ ТІСТЬ

VIR PERILLVSTRIS
ATQVE
EXCELLENTISSIME

Non leue ac indeliberatum quid me addu-
xit, vt TIBI, VIR PERILLVSTRIS, hancce
dissertationem submittere non erubescam. Iu-

ALIUS HERBASTRIS
1600
EXCELVNTISSIME

stae sane, eaque grauissimae causae, quibus
obedire religioni mihi duco, hosce labores,
quamquam exiguos, **TIBI**, tamquam primitias
studiorum meorum, et tamquam victimam pie-
tatis meae, ac reuerentiae consecrandi, nego-
tium mihi imponunt gratissimum. Sed quid?
Actum sane agerem, si in enumerandis causis
prolixior essem, cur potissimum haec disserta-
TIBI se offerat. Quod si enim innumerata
bilia

bilia illa, quae in me contulisti, beneficia, et
quae singulo die, quid? quod singulo momen-
to magis magisque crescunt, grata mente re-
colo, (recolo autem quotidie). Quod si fe-
lix illud, quo TIBI benigna me iunxit natura,
sanguinis vinculum recordor; TIBI ut stu-
dii mei academici rationes reddam, suavis
quaedam exigit necessitas. Accipe igitur;
FAVTOR AC PATRVE IN AETERNUM

(3

CO-

COLENDE, leue hocce manuscolum, ut
tefferam animi mei, TIBI deditissimi. Sed
si TVIS in me meritis minime respon-
det, si TVA deueranda benevolentia non
digna esse videtur haec elaboratio: il-
lam flagrantem cupiditatem, illam volunta-
tem, optime sane affectam, magis, quam
exiguum isthoc opusculum intuearis, vehe-
menter oro ac obsecro. Caeterum ex ani-
mo

mo precor, vt supremum numen vita longaeua, valetudine prospera, felicique semper consiliorum prudentissimorum exitu TE gaudere sinat. TE conseruet ad feros vsque annos in patriae decus, reipublicae Halensis munimentum, et denique etiam in dulce Musarum mearum praesidium. Si et mihi adhuc licet, quicquam votis expetere, ne dedignaris quaesito, me Tvo patrocinio ac beneuolen-

tiae

tiae habere commendatissimum, qui ad extre-
mum vitae halitum manebo.

VIR PERILLVSTRIS

NOMINIS TVI

DABAM HALAE
DIE V. APRIL. MDCCXLVI.

CVLTOR DEVOTISSIMVS

IOANNES IACOBVS NETTELBLADT.



DE
HABITV VRBIVM
AD REMPVBLICAM SECVNDVM IVS
PVBLICVM VNIVERSALE.

C A P V T L
DE

VRBIBVS EARVMQVE AD REMPVBLICAM
HABITV IN GENERE.

§. I.

Quatenus hic de verbis agendum.



riusquam ad rem ipsam me accingo, non solum
urbium conceptum, sed et quid sub earum ad
rempublicam habitu intelligam, paucis pre-
mittendum esse duco. Cum vero urbium institutum, pro tempo-
rum et populorum diuersitate, differat, et hic non de urbium hu-

ius vel illius populi, seu hujus vel illius aei, habitu ad hanc vel illam rempublicam agendum, sed de urbium ad rempublicam habitu in genere secundum principia iuris publici vniuersalis: meum non est, in conditionem urbium apud Romanos, Germanos, aliasque populos inquirere, sed potius talem urbium conceptum eruere, qui quadrat in vrbes cuiuscunque populi, et cuiuscunque aetatis. Interim tamen facile patet, ipsam urbium pro temporum et populorum diuersitate differentiam, oriri partim ex diuerso fine ob quem vrbes conditae sunt, partim ex diuersitate politiae urbium.

§. II.

De dupli urbis significatu.

Est vero urbium generatim sumtarum significatus duplex, alias *geographicus*, alias *politicus*, licet sint, qui urbem in sensu politico sumtam potius *civitatem* appellant, sive semper urbis voce utrantur in sensu geographicico. Vterque significatus differt in eo, quod is significatus urbis in quo sumitur pro certo loco, seu certo terrae tractu, sit geographicus; is vero quo sumitur pro specie quadam consociationis plurium ad certum finem coniunctis viribus obtainendum, politicus urbis significatus sit. Cum itaque urbs secundum I. 239. §. 6. D. de V. S. dicatur ab *urbo*, id est, curvatura aratri, quod in urbe condenda adhiberi olim solebat, per ea quae latius deduxit C ELLIVS in Diff. de ceremonia qua urbes conduntur: facile patet, cur urbis significatus geographicus pluribus placeat, hique, cum ARISTOTELIS societatem libero-

rum

ad rem publicam secundum ius publicum uniuersale.

rum hominum bene beateque viuendi gratia constitutam ciuitatem dicat, ciuitatis voce vti soleant, si de vrbe loquuntur in significatu politico, postquam ciuitatis vocabulum ad societatem vrbum inhabitantium restringi coepit. Ait cum ciuitatis vocabulum non factis aptum sit, ad exprimendam vrbis in sensu politico sumtae ideam, potius cum CONRINGIO in *Tr. de urbibus germanicis* §. V. sentio, qui recte afferit, *vocabulum urbis omnium commodissime, et structuram, et ipsam hominum societatem denotare.*

Definitio urbis in sensu geographicō.

Quodsi itaque vrbs sumitur in sensu geographicō, generatim, si quid video, ita definienda, quod sit pars terrae inhabitata, plura iuncta, per plateas tamen distincta, aedificia habitationi destinata sustinens, et vel natura, vel arte munita. Nimirum quamlibet aedificiorum congregationem vrbum dici non posse certissimum est. Aut itaque, si ponis aedificiorum congregationem, sparsim amplis spatiis locantur domus, aut sedibus coniunctis habitatur. Si posterius tum, si haec aedificia sunt plura et habitationi destinata, partem terrae ita inhabitatam, praeterea que vel natura, vel arte munitam, vrbum dici posse in sensu generali defendo, cum in eo conueniant omnis aevi et omnium populorum vrbes.

6 *De habitu urbium*

§. IV. *De urbium moenibus, turribus et portis.*

Interim negare nequeo, arduam quaestione esse, an non ad naturam et essentiam urbis in sensu geographicō requiratur pars terrae inhabitatam plura juncta, per plateas tamen distingua, gēdifica habitationi destinata sustinentem esse moenibus circumstā, atque turribus et portis instructā? Si hic tantum de urbibus romanis aut germanicis antiquis quaestio esset, sine dubio respondendum, sine moenīs cogitari non posse urbem. Non solum enim id euincit vrbes condendi modus apud Romanos vistatus, sed et PAVLVS l. 2. D. de V. S. muris inquit *urbis appellatio finitur*. Nec minus de urbibus germanicis antiquis idem dicendum esse patet ex tritis paroemis: *Burger und Bauren scheider niehrs denn die Mauren*, vt et, *keine Henne fliegt über die Mauren*. Ast, cum hic conceptus urbium generalis formandus, non audeo affirmare, in genere urbem sine moenīs, turribus, fossis, portis cogitari non posse. Interim locum esse debere munitione siue arte, siue natura, vt vrbis dici possit, ideo non possum non admittere, quoniam, licet securitas, nec vniuersus, nec principalis semper sit finis, ob quem vrbes conditae sunt, semper tamen securitas urbem inhabitantium simul intendatur in urbibus condendis.

§. V.

Vrbis in sensu politico definitio.

Ex iis quae de urbium definitione in sensu geographicō dicta sunt, facile notio vrbis in sensu politico formari potest. Cum enim

ad rem publicam secundum vias publicum vniuersale.

enim eos qui urbem condunt hoc ad obtinendum certum finem facere necesse sit: dum urbem conditam cogitamus simul ad eis finis, ad quem obtinendum plures vires suas coniungunt, siveque societas: *Societas eorum vero; qui ad obtinendum eum finem, ob quem urbs condita, se consociarunt, sub urbis in sensu politico nomine venit.* Finis ob quem urbs condita itaque hanc societatem distinguat ab aliis societatibus, propter in genere societates secundum finis diuersitatem a se inuicem distinguendae sunt. Quis verosit hic finis, specialius determinari nequit in generali urbis in sensu politico sumtac definitione. Licer enim §. IV. concederim numquam a fine ob quem urbes conditae sunt, securitatem plane excludi posse, securitas tamen provinciali et principali fine urbium omnis aequi et omnium populorum haberi nequit. Finis ob quem urbs exstructa itaque, qui urbem in sensu politico sumtam distinguit ab aliis societatibus, tum demum magis determinari potest, si non urbs in genere, sed urbs huius vel illius generis, velut urbs germanica, romana etc. definitienda, cum variis fines concipi possint ad quos obtinendos hoc vel illo tempore apud hunc vel illum populum urbes exstructae sunt. Quae cum ita sint, ingenerali urbis in sensu politico sumtac definitione finis ita exprimendus, ut omnes fines possibiles sub se comprehendat, quod sit, si tantum generatim finis, ob quem urbs exstructa est, mentio sit.

§. VI.

8. *De habitu urbium.*

VI. urbium modis utrumque ha-
bitus urbium ad rempublicam nomine veniat,
explicatur.

Dum itaque in urbium habitum ad rempublicam inquirere
me cum constitui, utrumque significatum, geographicum et politi-
cum, coniungo. In utroque significatu nimis determinan-
dum erit, tam quotuplex sit urbs in relatione ad rempublicam, quam
etiam quis sit nexus inter rempublicam et urbem in te existentem,
sicque quae sint urbium in republica existentium iura, et quae sunt
iura superioris reipublicae, ratione urbium quae ei subiectae sunt.
Haec enim sunt quae *habitum urbium ad rempublicam* consti-
tuunt; cumque is non solum quoad urbes huius vel illius reipubli-
cae in specie, veluti habitus urbium romanarum ad rempublicam
romanam, urbium germanicarum ad germaniam etc. secundum
ius publicum particulare huius vel illius reipublicae; sed et in ge-
nere, quoad urbes et resplicas quasunque secundum principia
iuris publici vniuersalis, definiri possit, qualis hic sit hic inquirendum.
Nec credo superfluum esse, hac de re iuris publici vniuersalis
principia explicari. Alios enim idem ante me iam tentasse, et ex
instituto de hac iuris publici doctrina scripsisse aliquem, mihi non
constat. Praeterea que sterilem non esse hanc doctrinam, sed potius,
si de habitu urbium huius vel illius reipublicae ad eam disputan-
dum, eam largam praebere messem, quemlibet facile mihi con-
cessurum esse, spero.

CAPUT II.

ad rempublicam secundum ius publicum universale. 9

C A P V T . I I .

VARIIS VRBIVM SPECIEBVIS, QVAE EX EA-
RVM HABITV AD REMPVBLICAM ORIVNTVR.

§. VII.

*De urbium in tales quae sunt respublicae, et quae non sunt,
divisione.*

In doctrina de habitu urbium ad rempublicam, ante omnia definitum quales concipi possint urbium species a se inuicem distinguendae, si referuntur ad rempublicam (§. VI.). Huc vero pertinet I. vrbes vel esse respublicas, vel tales vrbes quae respublicae non sunt. Cum enim, quoties societatis finis est salus publica, ea respublica sit per reipublicae definitionem, et contradictionem non inuoluat finem, ob quem vrbs condita, esse salutem publicam, quod vrbs possit esse respublica dubio caret. Ast, cum et finis ob quem vrbs condita, alias et magis specialis finis esse possit, quam is, quod velint, qui urbem condunt, vires suas conjugere quoad omnia ea quae faciunt ad salutem publicam, sive que ad finem omnium qui excogitari possunt amplissimum, omnium urbium finem esse, et ex urbis natura et essentia esse debere, salutem publicam, non requiritur; hincque nec dici potest omnes vrbes respublicas esse. Quodsi vero vrbs respublica est, ea vel ab aliis rebuspublicis plane diversa et separata respublica est, vel est respublica minor in respublica composita. Quid enim obstat

B

quomi-

quominus inter republicas minores in republica composita, sint tales quae sunt vrbes? cum vrbes respuplicae esse possint.

§. VIII.

De urbibus liberis et non liberis.

Sunt porro II. vrbes in relatione ad rempublicam, vel liberae vrbes, vel non liberae vrbes. Cum enim non implicet, vrbem esse talem, quae potestate ciuili reipublicae cuiusdam non est subiecta; prout etiam talis esse potest, quae reipublicae cuiusdam potestati ciuili subiecta est, inde facile deduci potest haec vrbium in relatione ad rempublicam diuisio. In priori casu nimirum vrbis *libera*, in posteriori vero *non libera*, dicenda est. Non solum vero vrbes quae sunt respuplicae, sed & vrbes quae respuplicae non sunt, liberae vrbes esse possunt, cum eas liberas vel non liberas esse, inde sit, quod potestati ciuili reipublicae cuiusdam subsint; vel non, ei vero et tales vrbes, quae respuplicae non sunt, non subiectas esse, nullam involuat contradictionem. Videlur quidem inde, quod vrbis sit libera vrbis, iam sequi eam esse rempublicam, sicque non nisi tales vrbes quae sunt respuplicae in liberas et non liberas diuidi posse. Ast, me iudice, defendi nequit, vrbes eo ipso quod liberae sint, esse respuplicas. Exinde enim quod vrbis sit libera vrbis, sicque potestati ciuili reipublicae cuiusdam non subiecta, nondum sequitur finem, ob quem istiusmodi vrbis condita est, esse salutem publicam in genere. Hoc fine cessante vero vrbem rempublicam esse dici nequit. Cum vero

vero, prout quilibet vel me non monente perspicit, vrbis libera quae respublica nondum est, possit, si velit, pro suo arbitrio respublica fieri, extendendo finem suum in genere ad salutem publicam, non multum interest quomodo haec quaestio decidatur, hincque mitto eam.

§. IX.

De urbis liberae criteriis.

Progedior itaque ad aliam magis momentosam quaestio nem, nimurum: *quae sint urbis liberae criteria?* Vbi distingendum est inter vrbem ab origine liberam, et vrbem quae ab initio libera non fuit ex post vero talis facta. Quod attinet urbes ab origine liberas earum criteria sunt, eas vel esse in solo nullius potestati civili subiectas, vel, si in solo, quod est territorii cuiusdam pars, exstructae sunt, superior tamen cum promissione plenae immunitatis a subiectione civili permisit vrbem conditi in suo territorio. Vnum vel alterum sufficere, vrbem pro libera ab origine habendam esse, inde patet, quod, si in solo a potestate civili vacuo exstructa est vrbis, potestas civilis desit cui subiecti possit vrbis, et, si cum concessione immunitatis in territorio alicuius reipublicae condita est, cesseret vrbis civilis subiectio per renunciationem. Cum itaque in utroque casu vrbis nullius potestati civili subiecta sit, in utroque casu libera vrbis est (§. VIII.) et quidem, cum in utroque casu talis iam sit dum existere incipit, ab origine Liberarum vrbium, quae ab origine liberae non fuerunt, crit-

12 De habitu verbium
rium vero est, quod ex post exemptione a potestate ciuitatis, cui subiectae haec tenus fuerunt, facta sit.

Ita philosophandum esse de libertate urbium, et duplicitate libertatis earum origine, censeo; saltem pro virium mearum imbecillitate aliter philosophari nequeo. Ast longe aliter philosophatur mihi incognitus AVCTOR impressi, quod Rostochii 1764. prodiit sub titulo: *Der Landes-Fürst in Rostock aus Macht- und Gnaden-Briefen der drei- und vierzehenden Jahrhunderten gegen die unnatürliche Verleugnung des dasigen Erbunterthänigen Stadtraths behauptet*, & b. PARENTIS, mihi proli dolor in ipso iuuentutis flore erepti, pro dulcis mihi natalis soli libertate anno 1757. scriptae deductioni: *Historisch diplomatische Abhandlung von dem Ursprunge der Stadt Rostock Gerechtsame und der selben ersten Verfassung in weltlichen Sachen bis ins Jahr 1358.* nebst denen von Originalien genommenen Urkunden, Münzen, Siegeln und andern Alterthümern der mittlern Zeit, welche die Beweise enthalten, oppositum. Dum enim AVCTOR huius Scripti b. PARENTIS assertum: Rostochium esse urbem ab origine liberam infringere vult, eum in finem et armis philosophicis eum agreditur, dum ex principiis iuris publici vniuersalis de urbibus liberis disputat. Audiamus itaque nunc eius philosophiam: cum

et quoach reliqua quae profert desideratissimi et optimi parentis, vel hoc solo scripto de patria egregie meriti, causam me agere, huius loci non sit, et vires meae hoc nondum permittrant. Ita autem ille §. 4. Nach dem allgemeinen Staats-Recht ist eine freie Stadt eine solche die auf eigenen von keiner Macht abhangenden Grund und Boden, ihr Dasein und Wesen aus eigener Wahl und Macht genommen und erhalten hat. Putat itaque laudatus auctor secundum ius publicum vniuersale ad urbem liberam requiri eam 1) in solo a potestate ciuili vacuo conditam esse, et 2) sibi ipsi debere originem, quod neutquam concedere possum. Ne quidem ad urbem ab origine liberam enim requiritur utrumque, multo minus ad urbem liberam in genere. Cur enim concessio immunitatis a potestate ciuili idem operari non possit, quod operatur locus a potestate ciuili vacuus, si in eo urbs condita est? et cur non sufficiat urbem nullius potestati ciuili esse subiectam, sive haec independentia inde oriatur, quod locus in quo urbs exstructa sit nullius potestati ciuili subiectus. sive inde quod is, cuius potestati ciuili subiectus est, cum concessione immunitatis a potestate ciuili, permiserit urbem in eo condi? ego quidem non video. Similiter, quod in specie artinet secundum criterium, urbem nimirum sibi ipsi debere originem, sicut eam ab alio non esse fundaram, nec ad urbem liberam in genere hoc requiritur, nec in specie ad urbem ab origine liberam. Prius inde patet, quod conceipi possint urbes ex post liberae factae, liberas vero ex post fieri posse urbes, sive sint tales quae ab alio conditae et fundatae, sive non, ne-

mo negabit. Posterius autem ideo defendo, quoniam contradictionem non inuoluit, superiorem fundare urbem ita, ut iis, qui in hac vrbe habitare et res suas agere volunt, concedat, plenam a potestate civili immunitatem; licet non negem urbem ab origine liberam, quae non sibi ipsi debet originem, sed a superiori reipublice fundata est, vix existere. Ast, cum disputem hac de re secundum principia iuris publici vniuersitatis, et ipse laudatus AVCTOR secundum huius iuris principia hic loquatur, sufficit talem urbem cogitari posse. Quae cum ita sint, independentia urbis a potestate civili reipublicae, seu ei non subiectam esse, in genere efficit eius libertatem, et si haec libertas adest dum existere incipit, ea est ab origine libera, non attento fundamento huius libertatis. Interim tamen dictus AVCTOR magna fiducia suum assertum, ad urbem ab origine liberam requiri sibi ipsi eam debere originem §. 31. repetit, et eo prolabitur ut distingui a se invicem velit *anfänglich befreite et ursprünglich befreite Städte*, dum ait: *Ist denn eine ursprüngliche Freiheit und eine anfängliche Freiheit einerlei? das ist noch nie in der Welt behauptet worden.* Städte von ursprünglicher Freiheit haben ihre Freiheit lediglich in- und aus ihnen selbst. So bald einer Stadt eine oberliche Befreiung oder eine landesherrliche Freiheits-Ertheilung wiederaufhört, so bald ist die Stadt nicht ursprünglich frei. Eine ertheilte Befreiung ist eben der Gegensatz einer ursprünglichen Freiheit, et paulo post addit: *Dass eine ursprüngliche freie Stadt den Grund ihrer Bestimmung in ihren eigenen Wesen haben müsse, und dass,*

ad reipublicam secundum ius publicum uniuersale. 15

so bald eine Landesherrliche anfängliche Befreiung einer Stadt
zugegeben wird, zwar eine anfänglich befreite, aber keine ur-
sprüngliche freie Stadt herauskomme. Quis vero non videt b.
PARENTIS antagonistam hic captere verbum: *ur/sprunglich*,
vnde nec miror eum in b. PARENTIS deductione, in qua is
realia potius tractavit, vbique contradictiones offendere. Inter-
rim, licet permittere debeam dicti impressi auctorem suo sensu
vti, scire tamen vellem, cur nec ea libertas vrbis, quae ex alte-
rius concessione ortum traxit statim dum vrbis condita, dici possit
originaria libertas? Et quid quaeſo intereft et refert distingui in-
ter *eine anfänglich befreite et ur/sprunglich freie Stadt?* Caete-
rum neutquam, quod pace eius dixerim, concessa libertas oppo-
ſitum libertatis originariae est: sed potius ex post concessa liber-
tas est oppositum originariae libertatis, quae vel per ſe adeſt, vel
per conſessionem alterius ante ortam ſubiectionem factam.

§. XI.

*De vrbium in priuilegiatas et non priuilegiatas
diuisione.*

Sed mitto vrbium diuisionem in liberas et non liberas, et
progredior III, ad earum diuisionem in *priuilegiatas et non pri-
uilegiatas*. Dicitur vero vrbis *priuilegiata*, si ei competit
iura, quae in regula vrbi tali, qualis est ea de qua quaerintur,
non competit, indeque per ſe patet; quid sit vrbis non priuile-
giata. Ut itaque vrbis priuilegiata dici possit, non ſufficit, vr-
bem

bem talem esse, quae habent iura, quae cuiilibet urbi
qua tali non competunt: sed res eo redit, iura urbi competere,
qua tali urbi, qualis est ea de qua quaeritur, non competit
in regula, sive speciali titulo acquisita esse debent. Sic urbem,
quae res publica est, iura reipublicae habere, non efficit eam ef-
se priuilegiatam. Ast, si urbs quae res publica non est, habet ta-
lia iura quae sunt iura reipublicae, et urbes eius generis, cuius
est urbs de qua quaeritur, in regula talia iura non habent, urbs
pro priuilegiata urbe habenda. Licet vero haec urbium diuisio
potissimum quoad urbes non liberas attendenda, facile tamen pa-
ter et liberas urbes vel priuilegiatas, vel non priuilegiatas esse pos-
se. Sit enim urbs libera, sive nullius potestati ciuii subiecta
(§. VIII.), ideo tamen ei omnia iura, quae urbes habere possunt,
nondum competit. Potest itaque talis urbs adhuc iura acquire-
re, quae in regula urbibus liberis qua talibus non competunt,
quibus acquisitis priuilegiata urbs est.

§. XL.

De immediatis et mediatis urbibus.

Sunt etiam urbes IV. in relatione ad rem publicam con-
sideratae vel *immediatae*, vel *mediatae* urbes, quae diuisio vero
non nisi quoad urbes non liberas, et in republica composita exi-
stentes, concipi potest. Si enim urbs talis est, quae potestati
ciuii reipublicae ciuiisdam subiecta, eaque est res publica composita,
urbs vel tantum potestati ciuii reipublicae compositae est subiecta;
vel simul potestati ciuii reipublicae minoris in republica composita.

In

In priori casu dici potest *immediata* vrbs, in posteriori vero *mediata* vrbs. Licet itaque secundum ius publicum vniuersale locum habeat, vrbium in immediatas et mediatas diuisio, nec non facile concipi possit, vrbes immediatas prae mediatis variis gaudere posse praerogatiis, eae raman secundum ius publicum vniuersale determinari non possunt. Vnde hic tantum moneo secundum ius publicum vniuersale I. magnam esse inter vrbem liberam et immediatam vrbem differentiam, cum omnis vrbs immediata sit non libera vrbs. II. Vrbes mediatas in eo quam maxime differre posse quod altera sit priuilegiata, altera vero vel plane non, vel non ira. III. Inter mediatas et immediatas vrbes tertiam speciem vrbium, quae partim immediatae, partim mediatae sunt, concipi non posse, sicque si *mixtam vrbem* quis appellare vellit, quae immediata et mediata simul est, secundum ius publicum vniuersale talem vrbem non ens esse. Ast, si sub mixtae vrbis nomine veniunt vrbes in republica composita, quae, licet potestati ciuili reipublicae minoris subiectae, sicque mediatae sint, in nonnullis causis tamen a potestate ciuili reipublicae minoris, cui caeteroquin subiectae manent, exemptae, eas secundum ius publicum vniuersale cogitari posse, non nego.

§. XII.

De vrbium diuersitate pro fundationis diuersitate.

Est porro V. hic consideranda vrbium diuisio, quod sint vel vrbes a superiore reipublicae in suo territorio fundatae, vel vrbes quae primis suis inhabitatoribus seu sibi ipsis originem de-

C

bent.

bent. Si placer priores vrbes *publicas*, posteriores *priuatas* appellare, ego quidem non refragor. Quod vero attinet rem ipsam, quaelibet vrbs quidem fundationi, si quid video, debet originem, cum nulla vrbs a natura sit, sed potius quaelibet vrbs tanquam humanum institutum factio humano originem debeat: ast is qui *fundauit urbem*, hoc est, cui vrbs debet suam originem et existentiam, vel est superior reipublicae, qui, ad promouendam salutem reipublicae per vrbes in territorio existentes, effecit urbem conditam esse, vel est certa multitudo hominum, qui ad obtinendum finem vrbis de ea condenda inter se conuenerunt. Hinc itaque oritur urbium, de qua loquor, diuisio, nec video, cur vrbs, fundata vrbs, *eine gestiftete Stadt*, dici non possit, si non tertio debet originem, sed illis, qui primi eius inhabitatores fuerunt. Nihilominus supra laudatus AVCTOR impressi:
Der Landes-Fürst in Rostock &c. et hic aggreditur b. PARENTEM, eique sine omni fundamento vitio vertit, quod Rostochium urbem fundatam esse concedat, et tamen defendat eam originem debere primis suis inhabitatoribus. Prouocat itaque ad notionem fundationis yrbis, et putat urbem, fundatam urbem dici non posse, quae sibi ipsi debet originem. Audamus mirabilem eius philosophiam §. 5. Nur wird auch noch ein richtiger Begrif von Stiftung einer Stadt voraus zu setzen seyn. Eine iedwede Stiftung ist allemahl der Gegensatz eines willkürlichen Ursprungs. Was gestiftet worden, das bat den Grund seines Ursprungs nicht in ihm selbst. Die Stiftung einer Stadt schliesset ein willkürliche oder eigenmächtiges Dasein aus ihr selbst,

ad rempublicam secundum ius publicum uniuersale. 19

selbst, völlig aus. Eine Stadt, die sich gesiftet nennt, gibt also den Grund ihres Ursprunges außer ihr, zu. Nonne hic iterum manifesto iniurius est hic AVCTOR in b. PARENTEM, et non nisi verba captat? Quis ei conceder, fundationem esse oppositum arbitriae originis, et quam hic assumit distinctionem inter vrbum fundatum et non fundatum, eine gesiftete Stadt und die ihr willkürliches Daseyn aus ihr selbst hat? Egregia sane philosophia! Quasi vrbs, quae originem debet sibi ipsi, non sit fundata vrbs, nimurum ab iis, qui primi eius inhabitatores fuerunt? Fundationis oppositum, si quid video, est id quod a natura est. Cum itaque nulla vrbs, sicque nec Rostochium, a natura sit, b. PARENTIS optimo iure Rostochium vrbum fundatum appellare potuit, et tamen absque omni, ne quidem apparente, contradictione defendere, Rostochium debere originem primis suis inhabitatoribus ab iisque fundatum esse. Utatur libertate philosophandi pro libitu, et sibi quam vult former notionem einer gesifteten Stadt b. PARENTIS antagonista, modo ei vitio non vertat, quod locutus sit secundum communem loquendi usum, cum nondum edocetus erat ab hoc suo aduersario, quem demum post fata sua nactus est, dari etiam vrbes a nemine fundatas, sicque *ungeſiftete Städte*, quas nec ego mihi concipere possum.

§. XIII.

De urbibus in territorio, et quae tales non sunt.

Tandem adhuc addendum, vrbes in relatione ad rempublicam consideratas VI. vel tales esse, quae in territorio reipubli-

C. 2

cag

cae sunt, vel tales non esse, in eo scilicet sensu, quod *in territorio esse* dicatur vrbis, si in spatio, quod ad reipublicae cuiusdam, territoriorum pertinere indubium est, sita est. Licet vero vrbes, quae in territorio reipublicae cuiusdam sunt, de territorio etiam sint, siveque potestati ciuili eius reipublicae, in cuius territorio sunt, subiectae sint, donec probetur contrarium, hoc probato tamen de territorio non sunt. Inde itaque, quod vrbis in territorio reipublicae sita sit, non absolute sequitur eam esse urbem non libera-
ram, sed potest, licet in territorio sit, non esse de territorio, siveque libera vrbis esse. Ast urbem in nullius territorio sitam semper liberam esse necesse est.

CAP. III.

DE VRBIVM QVAE SVNT IN TERRITORIO
REIPUBLICAE IVRIBVS.

§. XIV.

Thema huius capituli determinatur.

Postquam, quotuplex fit vrbis in relatione ad rempublicam considerata, vidimus, nunc in doctrina de habitu urbium ad rempublicam vterius progrediendum, et iura urbium in territorio reipublicae sitarum sub examen vocanda (§. VI.). Si enim vrbis in territorio reipublicae cuiusdam non est sita, de eius iuribus hic ideo nihil monendum, quoniam talis vrbis semper libera vrbis est, et iurium eius in relatione ad respuplicas alias consideratio, potius ad ius gentium, quam ad ius publicum vniuersale, spectet.

Restrin-

ad rempublicam secundum ius publicum vniuersale.

21

Restringo itaque hanc tractationem ad iura vrbium quae sunt in territorio.

§. XV.

De iuribus vrbium vrbicis et acquisitis in genere.

Antequam de vrbium, quae sunt in territorio reipublicae, iuribus dispuo, non possum non, quin paucis praermittam, iura in relatione ad vrbes in genere considerata, vel esse talia iura, quae ex vrbis essentia et natura concipi possunt, vel talia quae ex ea quidem concipi nequeunt, ast tamen ab vrbe speciali titulo acquisita esse possunt. Liceat prioris generis iura *vrbica iura* appellare, eaque diuidere *in generalia omnium societatum iura socialia*, et *societatis quae vrbis est specialia iura socialia*, prout vel ex societatis in genere, vel vrbis in specie, natura et indole, fluunt. Posterioris generis iura si vrbii competitunt, vrbis iura quidem sunt, ast vrbica iura non sunt, hincque *acquisita vrbium iura* seu *vrbium priuilegia* dici possunt. Ita nimirum secundum ius publicum vniuersale iura in relatione ad vrbes considerata diuidenda esse censeo. Ast in applicatione ad vrbes huius vel illius reipublicae, mallem iura, quae, licet ex vrbium natura non fluant, secundum certae reipublicae leges tamen vrbibus eius reipublicae factem in regula competitunt, ad vrbica iura potius, quam ad acquisita vrbium iura referri.

§. XVI.

De vrbiam iuribus acquisitis in specie.

Dicam primo de vrbium in territorio reipublicae iuribus, quae vrbica iura non sunt, sed iura vrbium acquisita, dum quae

de iis dicenda paucis absolui possint. Per se enim facile patet secundum ius publicum vniuersale determinari non posse, quae sint illa iura quae vrbi in republica existenti tanquam acquisita iura competunt. Hic itaque tantum monendum, haec iura vel iura reipublicae socialia seu iura potestatis ciuilis, quae vulgo iura maiestatica, regalia, *Hobheitsrechte* dici solent, esse, vel non. Licet enim, quod attinet speciatim iura posterioris generis, vrbes quae non sunt respublicae, qua tales non habeant iura reipublicae socialia seu potestatis ciuilis, veluti *ius praesidii*, *ius foederum*, *ius collectarum* &c. ea ab iis tamen acquiri posse indubium est. Sed in dijudicando habitu urbium ad rempublicam multum interest, quomodo vrbes haec iura reipublicae acquisuerint et quo iure ea exerceant. Aut enim ea ita acquisuerunt, vt non nisi iure administratio iis competant, dum qua quasi officiales publici, loco et nomine reipublicae, ea administrant, aut ita ut iure proprio ea exerceant. Haec differentia vero quoad vrbes liberas locum non habet, cum liberas, siveque potestati ciuali reipublicae cuiusdam non subiectas, vrbes (§. VIII.), nomine reipublicae, quasi qua officiales eius, iura reipublicae exercere, cogitari nequeat, indeque hae vrbes semper iure proprio exerceant quae iis competunt iura reipublicae socialia seu maiestatica iura. Ast, quod ea quoad vrbes non liberas locum habeat omnino, non solum ex urbis non liberae conceptu, cum sit potestati ciuali reipublicae subiecta (§. VIII.), facile patet, sed et scriptores iuris publici germanici, dum in urbium germanicarum prouincialium, quae, si vere tales sunt, vrbes non liberae sunt, nexus cum superioritate territoriali loquuntur, agnoscunt

hanc

hanc differentiam, quae generatim secundum ius publicum universale quoad urbes non liberas cuiuslibet reipublicae concipi potest. Prouoco praeferit ad ea quae HENNIGES in *Mantissa ad Spec. IV. Med. ad Inslr. Pacis* §. 48. annotavit, qui, dum loquitur de urbium germanicarum mediatarum iuribus superioritati fini illmis, addit: *Quamquam autem haec iura municipia ista plerumque voluntate et auctoramento dominii territorii habeant et exerceant, qui eorum fidei illa credita cupit: sunt tamen quaedam urbes prouinciales et mediatae, quae tanta seu priuilegio seu longa consuetudine quaesita libertate vtuntur, ut ista fere omnia in ciuitate sua vnius arbitrio agant decernantque, inconfusio prorsus domino suo, quin contra eius mandatum eo prorsus libero et excellenti possidendi modo, quo potestate territoriali ipsi statutis in suis territoriis gaudent. Eiusmodi igitur ciuitates mediatae quo minus ipsum ius territorii habeant, nulla alia impedirentur re quam medierate sua; intereaque exerceant analogum ius simillimumque illi, non actuam libertate vel plenitudine deteriorius: sed ordine saltem et dignatione.* Licet enim HENNIGESIVS hic non vbiique distincte satis loquatur, mens eius tamen eo redit, quod urbes quae mediatae sunt, vel iure administratorio, vel iure proprio habeant et exerceant iura, quae stylo iuris publici vniuersalis iura reipublicae socialia dicenda.

§. XVII.

Transitus ad iura urbium urbica.

Sequuntur nunc urbica iura urbium in territorio reipublicae

cae existentium (§. XV.) Duplex hic oritur et decidenda est quaestio. Prima est: *quaenam iura ad urbica iura urbium in territorio reipublicae sitarum referri possint?* Secunda vero eo redit: *Cui competant originetenus iura urbica, si urbs in territorio reipublicae sita est?* Si utraque haec quaestio decisa, theoria de urbium in territorio reipublicae sitarum iuribus erit, ut spero, completa. Agedum itaque videamus quomodo utraque haec quaestio resoluenda.

§. XVIII.

Quae iura ad urbica iura referri debeant determinatur.

Vt nunc, quid sentiam de prima quaestione, dicam, ad eam facillime responderi posse censeo. Vel is qui primis labiis degustarunt jurisprudentiam naturalem constat, dari iura *societatis*, quae opponuntur *iuribus singulorum* ex societate, illaque vel iura *societatum socialia*, vel iura earum *acquisita* esse. Cum itaque vrbes sint in sensu politico, in quo hic de iis loquor, societates (§. V.), si theoria generalis de societatum iuribus socialibus applicatur ad urbes, prodeunt statim, velut per se, urbica iura, quippe quae sunt urbium socialia iura (§. XV.). Nec hic attendenda urbium in cap. praec. explicata differentia alia praeter eam, quod urbes vel respublicae sint, vel non (§. VII.). Cum enim, si urbs est respublica, habeat finem latius patentem, quam eum quem habent urbes quae respublicae non sunt, plura dari urbium, quae respublicae sunt, iura urbica, quam urbium quae respublicae non sunt,

necessa

ad rempublicam secundum ius publicum vniuersale.

25

necesse est, dum omnia iura, quae sunt reipublicae iura socialia seu iura potestatis ciuilis, vulgo iura maiestatica, regalia, Honorestre dicta, ad iura vrbica vrbis, quae respublica est, referri debeant; Quod vero attinet vrbium in relatione ad rempublicam differentias, quod sint vel liberae, vel non liberae; priuilegiatae, vel non priuilegiatae; a superiore reipublicae fundatae vel non; immediatae vel mediatae vrbes; eas attendendas non esse, quando quaeritur quae iura ad vrbica iura referri debeant, vel inde patet, quod hae differentiae non influant in id quod est iurium societatis socialium, sicque vrbium iurium vrbicorum, fundamen-tum (§. XV.).

§. XIX.

Transitus ad quaestione secundam §. XVII. motam.

Sufficient haec ad resolutionem prioris quaestionis. Posterior quaestio §. VII. mota maioris momenti est, et ad eam respondendum aliter, si vrbis de qua quaestio est, *libera* vrbis est, aliter vero si *libera vrbis non est*. In posteriori casu vero iterum ea differentia attendenda, an vrbis si vrbis ab *ipso superiore reipublicae fundata*, an vero sit *vrbis quae originem debet primis suis inhabitatoribus*. Ut itaque in omnibus his casibus distincte responderentur ad quaestione secundam, de iis sigillatim agendum, praemissis principiis quibusdam generalibus, quibus innittitur resolutio huius quaestionis in singulis his casibus.

D

§. XX.

*Generalia principia quae faciunt ad resolutionem quae-
stionis secundae.*

Principia generalia, quae sequentibus praemittenda esse du-
co, ut inde statim deduci possint, sunt:

I. *Posita vrbe, siue ea sit libera, siue non libera, siue fit a
superiore reipublicae fundata, siue a primis eius inhabitatori-
bus, ponuntur iura urbica.* Sunt enim iura urbica, urbis pro so-
cietate, sive in sensu politico sumtae, iura socialia. (§. XV.) In ge-
nere vero constat posita societate ponit iura societatis socialia.

II. *Iura urbica sunt originetenus penes eum cui vrbs de-
bet originem seu penes eum qui eam fundauit.* Cum enim iura
urbica statim cum ipsa vrbe adsint (per num. praec.), originem
debent ei cui ipsa vrbs originem debet. Quoties vero ius quod-
dam alicui originem debet, antequam mutatio facta, sive origi-
netenus, non potest non ei competere, cui originem deberet.

III. *Quoties non nisi de eo quaestio est penes quem sint origi-
netenus iura urbium urbica, nil interest, an vrbs sit res publica
vel non, priuilegiata vel non priuilegiata, immediata vel media-
ta.* Hae urbium differentiae enim, prout ex dictis (§. VII. XI. XII.)
per se patet, ortum urbium non concernunt, ab urbium ortu vero
dependet penes quem sint originetenus iura urbica. (per num.
praec.)

ad rempublicam secundum ius publicum uniuersale.

27

*Cui competant originetenus iura vrbica, si vrbs est libera
vrbs, determinatur.*

His praemissis me adcingo ad resolutionem quaestioneis secundae, cui nimirum competant originetenus iura vrbica, si vrbs est in territorio, et quidem in casu quo est libera vrbs. (§. XIX.) Hic non possum non quin vrbium causam agam, et defendam, *tum omnia vrbica iura esse originetenus penes vrbem ipsam.* Si enim yrbs, licet sit in territorio, est libera vrbs, dum nimirum superior cum promissione immunitatis a potestate ciuili vel ipse eam fundauit, vel primos earum inhabitatores eam fundare permisit (§. IX.), in casu posteriori penes superiorem reipublicae originetenus iura vrbica esse non posse, patet per §. præc. num. II. Ast nec in priori casu defendi potest iura vrbica originetenus penes superiorem esse, licet per §. præc. num. II. Sint originetenus penes eum qui fundauit vrbem, cum hic obster superioris renuntiatio, quippe quae inest concession immunitatis a potestate ciuili, non solum ideo, quoniam a maiori ad minus, nimirum a renuntiacione iurium reipublicae socialium seu iurium potestatis ciuilis (der Hoheitsrechte), ad renunciationem iurium vrbicorum (der städtischen Rechte), concludi potest: sed et quoniam fundatio vrbis a superiore facta in suo territorio, ei ideo tribuit iura vrbica, quia vrbs ab eo fundata in suo territorio suae potestati ciuili subiecta fieret, nisi immunitatem ab ea concessisset, sicque ea con-

D 2

cessa

cessā, non possint non simul cessare iura urbica, quae alias vi fundationis competenter superiori tanquam fundatori.

§. XXII.

De iuribus urbicis urbium non liberarum in genere.

Sequuntur vrbes non liberae, quales sunt plurimae vrbes quae sunt in reipublicae territorio. Quod vero harum urbium iura urbica attinet, supra (§. XIX.) iam monui, in decidenda quaestione cui ea competant distinguendum esse inter vrbes huius generis, quae sunt vrbes publica auctoritate, siveque a superiore reipublicae, fundatae, et quae tales non sunt, sed potius a primis eius inhabitatoribus proprio motu fundatae. Cum enim prioris generis vrbes sint publicae socierates, dum fundatae sunt a superiore reipublicae ut per eas finis reipublicae pro parte obtineatur, quod de vrribus ab ipsis inhabitatoribus proprio motu fundatis dici nequit, non potest non inde secundum ius publicum vniuersale magna quoad iura urbica oriri differentia, prout in genere societatum publicarum et priuatarum iura quam maxime differre secundum hoc ius, iam bene obseruauit academiae huius quoniam decus et ornamentum IVSTVS HENN. BOEHMERVS in *In re publico vniuersali Lib. II. cap. IV. §. IX. not. b.* Videndum itaque quae in vtroque hoc casu vrribus tribui possint urbica iura secundum ius publicum vniuersale.

§. XXIII.

§. XXIII.

De iuribus urbicis vrbium non liberarum a superiore reipublicae fundatarum.

Quodsi itaque vrbis quae est in reipublicae territorio, est vrbis non libera a superiore reipublicae fundata, non possum non quin hic reipublicae causam agam, et defendam, *istiusmodi vrbem originetenus omnibus iuribus urbicis esse destitutam.* Licet enim certissimum sit, posita societate poni sic dicta iura societatis socialia, siveque et posita vrbe tanquam societate, siue ea sit a superiore reipublicae fundata, siue a primis suis inhabitatoribus, poni iura huius societatis socialia, quae vrbica iura appello (§. XX. num. I.): inde tamen non sequitur, haec vrbica iura esse ab origine penes ipsam vrbem. Potius, si quaestio est penes quem sunt originetenus iura societatum socialia, siveque et iura vrbium vrbica, respondendum est penes eum qui fundauit societatem, seu cui originem debet societas, siveque, quando societas est vrbis, penes eum qui vrbem fundauit, seu cui vrbis originem debet (§. XX. num. II.). Quod si itaque vrbis talis est, quae fundata est a superiore reipublicae, penes eum, non penes vrbem, esse originetenus iura talis vrbis vrbica necesse est.

§. XXIV.

De iuribus urbicis vrbium non liberarum quae sibi ipsis originem debent.

Ast aliud dicendum de vrbibus non liberis quidem, ast tamen talibus, quae a superiore reipublicae non sunt fundatae, sed originem debent primis suis inhabitatoribus. Hae vrbes ab v-

bibus a superiore reipublicae fundatis in eo differunt, quod *iis originetenuis competant omnia iura, quae sunt in genere cuiuslibet societatis socialia iura*, siveque, cum talia iura in applicatione ad urbes appellem iura urbica (§. XV.), *tales urbes originetenuis omnia iura urbica habent*. Cum enim in antecedentibus iam demonstratum sit, urbium iura urbica esse originetenuis penes urbis fundatorem seu eum cui originem debet (§. XX.), si urbs originem primis suis inhabitatoribus deberet, iura urbica penes ipsam urbem originetenuis esse debent.

§. XXV.

De acquisitione iurium urbicorum urbium in republica.

Licet vero, si urbs in territorio existens a superiore reipublicae fundata, iura urbica sint originetenuis penes reipublicae superiorem (§. XXIII.), per concessionem a superiore factam tamen istiusmodi urbem vel omnia, vel haec seu illa iura urbica acquirere posse, nemo dubitabit. Nec hic praecise opus est expressa concessione, sed sufficit tacita, quae adest toties, quoties superior permisit talem urbem hoc vel illo iure urbico vti. Ast cum haec concessio sit facti, tales urbes in dubio probare debent factam concessionem. Similiter, licet urbi in territorio existenti, quae libera est, vel quae a superiore reipublicae non fundata, competant originetenuis iura urbica (§. XXI. XXIV.), ideo tamen ea vel omnia, vel haec seu illa eorum, penes superiorem reipublicae esse possunt, si is nimis ea ab urbe acquisiuit. Cum vero et talis acquisitionis facti sit, in dubio superior probare debet in his casibus factam acquisitionem iurium urbicorum.

§. XXV.

De singulis iuribus vrbicis remissive.

Haec sufficient de iuribus vrbium in republica existentium in genere, ex quo apparet, quantum interfit inquirere in cuiuslibet vrbis originem, si definiendum, an et quae ei competant vrbica iura. Quodsi nunc ad specialia descendere vellem et singula iura, quae ad vrbica iura secundum ius naturae referri debent, recensere, amplissimus mihi pateret campus. Ast, cum ad doctrinam iuris publici de habitu vrbium ad rempublicam, singularium iurium vrbicorum recensio referri nequeat, sed potius non nisi eatenus de iis hic agendum, quatenus de iis actum est, nimirum, quae iura in genere ad iura vrbica vrbis in republicae territorio existentis referri debeant; et cui competant, hic subsistere debo, ne limites, quos mihi posui, transgrediar et trita atque vulgaria repetendo tempus consumam. Interim quae dicta sunt uno alteroue exemplo illustrabo, ut inde theoriae generali maior lux assundatur.

§. XXVII.

Illustratio dictorum per exemplum.

Pone e. g. vrbem secundum suam politiam collegio senato-
rio esse instructam, quod potestatem vrbicam, sub quo nomine mihi
venit complexus iurium vrbis competentium, siue sint iura vrbica,
siue vrbium privilegia, iure proprio exercet, siveque est colle-
gium repraesentativum totius vrbis. Quod si nunc quaeritur:

cui

cui competat constitutio nouorum collegii huius senatorii membrorum? secundum principia in antecedentibus stabilita ante omnia definiendum, an ius eligendi noua collegii senatorii membra sit ius urbicium, quod secundum rerum naturam et essentiam afferendum esse nullus dubito, et ex principiis generalibus de societatum iuribus socialibus facile deduci potest. Hoc praesupposito omnia eo redeunt, an vrbs de qua quaeritur, quis in ea habeat ius eligendi noua collegii senatorii membra, sit vrbs libera, vel non, et, si posterius, an a superiore reipublicae fundata, an vero primis suis inhabitatoribus debeat originem. Si nunc constaret, urbem esse non liberam a superiore reipublicae fundatam, omnino defendendum superiori reipublicae, non vrbi ipsi, aut aliis quibus ab urbe concessum, competere ius constituendi nova collegii senatorii membra, nisi huius iuris a superiore factam concessionem docere possit vrbs. Quodsi vero vrbs vel est libera vrbs, vel talis quae primis suis inhabitatoribus originem debet, originetenus ipsi vrbi competit ius eligendi noua collegii senatorii membra, nec superior reipublicae ea constituere potest, nisi constet hoc ius urbicium in eum translatum esse.

§. XXVIII.

Aliud exemplum.

Iuuabit adhuc alio exemplo theoriam generalem de iuri bus urbicis in antecedentibus traditam illustrare. Ponamus secundum ius publicum vniuersale decadendum esse, cui competat ius nouos ciues recipiendi, sicque ciuitate aliquem donandi.

Hoc

ad rempublicam secundum ius publicum universale.

33

Hoc ius vrbicum ius esse, nemo dubitat, hincque sequitur illud competere originetenus superiori, si vrbs non libera vrbs est quam is fundauit: vrbi ipsi vero, et, si collegio senatorio instrueta est vrbs, huic collegio, si vrbs vel libera vrbs est, vel ea originem debet primis suis inhabitatoribus. Secundum ius publicum yniuersale itaque vrbi non competit ius recipiendi nouos ciues, nisi vel libera est, vel sibi ipsi originem deberet, et hoc ius a superiore non est acquisitum, vel, si est vrbs non libera a superiore fundata, concessionem huius iuris a superiore factam esse probari potest.

C A P V T . I V .

DE IVRIBVS REIPVBЛИCAE IN VRBES SVI
TERRITORII COMPETENTIBVS.

§. XXIX.

Praeparatio ad ea quae sequuntur.

Supersunt iura reipublicae, vel eius superioris, quae in vrbes sui territorii ei competit, de quibus ultimo loco agendum, ut nihil eorum intactum relinquam, quae sub habitus ad rempublicam nomine comprehendendi possunt (§. VI.) Haec iura vero, quae reipublicae iura appello in eo sensu, quod reipublicae seu eius superiori competant, aliter, si quid video, explicanda sunt, ac vulgo fieri solet. Noui de his iuribus systematis lineae itaque

E m o d i s c o r s u s q u a n t u m q u a n d u m h i c

Hic ducendae sunt, distinguendo a se inuicem *iura reipublicae in urbes*, quae sunt *iura potestatis ciuilis*, seu vulgo sive dicta *iura maiestatica*, *reipublicae in urbes sui territorii competentia*, et talia *iura reipublicae in urbes sui territorii*, quae sunt *urbica iura* (§. XV.). Non exhausti enim theoriam de iuribus reipublicae in urbes sui territorii, qui sola iura potestatis ciuilis hic adsumunt, et ex potestate ciuili deducere volunt omnia iura reipublicae in urbes sui territorii competentia. Quodsi vero dicta iura duplicitis et diuersi generis a se inuicem distinguuntur, et pro urbis diuersitate determinatur quae iura reipublicae competant, vel non, magis distincta et solida est theoria de his iuribus, quam est, his diuisionibus neglectis. Dictam methodum itaque obseruabo in tradendis his iuribus.

§. XXX.

De iuribus reipublicae maiestaticis quoad urbes liberas.

Quod itaque attinet primo iura potestatis ciuilis seu iura reipublicae socialia, vulgo maiestatica iura dicta, quoad ea inter liberas et non liberas urbes distinguendum est. Si vrbis libera est, iura potestatis ciuilis, reipublicae, in cuius territorio est, competere non posse, in aprico iacer, cum cessante per definitionem vrbis liberae potestate ciuili reipublicae in totum (§. VIII.), singula iura potestatis ciuilis reipublicae in tales urbes competere nequeunt. Haec iura vero ideo plane non cessant, sed libera vrbis, si est respublica, ipsa ea exercere potest, cum ea tum ad iura sua urbica reuera-

per-

pertineant, et licet libera vrbs non sit respublica, ex dictis (§. VIII.) tamen facile pater, nil obstatre eam haec iura sibi sumere. Ast, si vrbs in territorio existens est vrbs non libera, res maioribus inuoluta est difficultatibus, quae ut facilius solvi possint, distinguendum est inter vrbes non liberas priuilegiatas et non priuilegiatas, et de singulis sigillatim agendum.

§. XXXI.

De iuribus reipublicae maiestaticis quoad urbes non liberas priuilegiatas.

Si vrbs est non libera quidem, ast tamen priuilegiata, in eo casu, quo priuilegia non sunt ipsa iura potestatis ciuilis ei competentia, sed alia iura, nil interest quoad iura potestatis ciuilis quod priuilegiata sit, sed vi principii, quod potestas ciuilis fundata sit in omne id quod est in territorio, donec exercitio probetur, in talem vrbe reipublicae competant simpliciter iura potestatis ciuilis. Ast, si priuilegia vrbis sunt iura potestatis ciuilis, aut haec iura potestatis ciuilis vrbi competunt iure proprio, aut non nisi irre administratorio (§. XVI.). Si posterius, vrbs qua quasi officialis administrat tantum iura potestatis ciuilis (§. cit.), hincque tum secundum principia iuris publici vniuersalis de nexu inter rempublicam et eius officiales omnia sunt diiudicanda. Si vero prius, reipublicae quidem non competunt, nec ea exercere potest, iura potestatis ciuilis, quae ab vrbe acquisita er ei iure proprio competunt: ast inde non sequitur talem vrbe iuribus potestatis

civillis plane non esse subiectam, si et ponere velis ei omnia iura potestatis ciuills competere. Non solum enim semper et in omni casu, si vrbs tanquam non libera vrbs potestati ciuili subiecta, ea pars potestatis civilis, quae sub partis inspectoriae nomine venit, reipublicae manet salua, quoad iura potestatis ciuili ab vrbe acquisita: sed et, si non omnia iura potestatis ciuili tali vrbi competit, reliqua, quae ei non competit, penes ipsam rem publicam esse, necesse est. Quae cum ita sint, quae Duumviri de republica litteraria egregie meriti, P E R I L L. L. B. de C R A M E R ET ILL. S T R V B E N , ille nimurum *in den Wetzlarischen Nebenstunden* P. 7. num. I. in resolutione quaestionis: Ob eine iede Municipal- oder Land-Stadt, wenn sie auch mit allen nur erdenklichen Priuilegiis versehen, iedennoch eine gewisse Speciem subiectonis ciuili zugleich erkennen müsse? et hic in Observatione: *von den Hobetsrechten mittelbarer Städte* P. I. num. V. der Nebenstunden, docuerunt quoad vrbes germaniae secundum ius publicum germanicum particulare, suo modo iuris publici vniuersalis sunt. Praesertim quae de potestatis ciuili parte, quae sub potestatis inspectoriae nomine venit, dicta sunt, egregie illustrant quae STRVBEN l. c. §. XXII. monet, et mutatis mutandis facile hoc trahi possunt.

§. XXXII.

ad rempublicam secundum ius publicum universale. 37

§. XXXII.

*De iuribus reipublicae maiestaticis quoad urbes nec liberas,
nec priuilegiatas.*

Supersunt urbes in territorio non liberae et non priuilegiatae, de quibus vix habeo quod monendum esse duco. Cum enim urbes huius generis tanquam non liberae subsint potestati ciuili (§. VIII.), si praeterea nulla priuilegia habent, sicque et nulla iura potestatis ciuilis, fundatae in territorio potestati ciuili non possunt non in talem urbem competere omnia et singula iura potestatis ciuilis. His urbis itaque nil praeter obsequii gloriam superest quoad ea quae pertinent ad iura potestatis ciuilis, et contentae esse debent exercitio iurium urbicorum, si iis talia, secundum ea quae (§. XXIII. XXIV.) dicta sunt, competit.

§. XXXIII.

Speciales quedam obseruationes iura reipublicae maiestatica concernentes.

Antequam mitto iura reipublicae maiestatica quoad urbes in eius territorio existentes, duplex addenda obseruatio. I. *Quoad haec iura nil interest, an urbs sit fundata a superiore reipublicae, an vero sibi ipsi originem debeat.* Fundamentum horum iurium enim est urbem esse in territorio, sicque, si libera non est, potestati ciuili est subiecta, sive originem debeat superiori reipublicae, sive sibi ipsi. II. *Si urbs ab origine libera, successione superiori reipublicae concessit haec vel illa iura potestatis ciuilis,*

E 3

quoad

reliqua iura potestatis ciuilis pro vrbe militat praesumtio, ea superiori reipublicae non competere; nec potest is quoad iura, quae talis vrbs tanquam iura ex libertate residua adhuc habet, exercere iura in potestate inspectoria contenta, quoad iura potestatis ciuilis ab vrbe non libera, ast priuilegiata, acquisita, per § 31. competencyia. Prius enim mutatio est, per ea quae de reipublicae iuribus maiestaticis quoad vrbes liberas §. XXX. dicta sunt. Mutatio vero non praesumitur. Posterius autem ideo non procedit, quoniam talis vrbs, quoad iura ex libertate residua, potius pro libera, quam pro non libera vrbe habenda. Si itaque e. g. vrbs talis ius collectandi, tanquam ius ex libertate residuum, habet, superior reipublicae, nec ea iura quae ex potestate inspectoria fluunt, circa hoc ius exercere potest.

§. XXXIV.

De iuribus urbicis reipublicae competentibus.

Nunc mitto iura reipublicae in vrbes sui territorii maiestaticae. Praeter haec et dantur alia reipublicae seu superioris eius iura, quae ei in has vrbes saltem competere possunt, licet non semper actu competant, nimirum urbica iura. Non solum enim, si vrbs in territorio a superiori reipublicae fundata est, iura urbica originetenus penes superiorem reipublicae sunt (§. XXIII.); sed et res publica vel eius superior ea ab vrbe, cuius iura urbica ei originetenus non competit, acquirere potest (§. XXV.). In utroque hoc casu itaque iura, quae competit reipublicae in vrbes sui territorii, non tantum ea iura sunt, quae maiestatica dici solent,

lent, sed et iura vrbica, quae iura vrbium collegialia dici possunt, si vrbem tanquam collegii speciem consideramus. Non quidem recordor me vniquam aliquid legisse de iuribus reipublicae eiusue superioris, vel, vt loqui solent, principis circa vrbes collegialibus, quae magis concinne iura vrbica appellari posse credo; ast inde nihil metuo. Constat inter omnes, quo felici successu recentioribus temporibus iura, vt aiunt, principis circa sacra in maiestatica et collegialia diuisa sint, et quantum lucis et soliditatis inde accesserit doctrinae de iure principis circa sacra, seu potius doctrinae de iuribus reipublicae in ecclesiam in suo territorio existentem. Nisi vero me omnia fallunt, eadem diuisio applicari etiam potest, si iura reipublicae in vrbes sui territorii distincte et solide explicanda, modo hic semper attendatur, ecclesiam et vrbem esse societas sua natura et essentia plane diuersas inter se, et quae inde oritur differentia non negligatur.

§. XXXV.

De singulis iuribus reipublicae maiestaticis et vrbicis remissione.

Caeterum et hic subsisto in hac generali theoria de iuribus reipublicae in vrbes sui territorii. Prout in theoria de iuribus vrbium in territorio reipublicae sitarum, ad specialia, ipsa iura haec signatim recensendo, descendere non licuit (§.XXVI.): ita et nec hic singula iura reipublicae maiestatica et vrbica enarrare licet. Non posteriora, ex dictis §. cit. rationibus, quae et hic locum habent: multo minus vero priora, cum quae sint iura reipublicae maiestatica-

iestatica ex systemate iuris publici vniuersalis potius praesupponendum, quam hic definiendum. Praeterea applicatio ad vrbes nullis difficultaribus est innoluta, modo, prout ex antecedentibus constat, hic semper attendatur differentia inter vrbes liberas et non liberas, et quoad posteriores inter priuilegiatas et non priuilegiatas. Interim non plane inutile erit et hanc theoriam generalem uno alteroue exemplo illustrari.

§. XXXVI.

Dicta exemplis illustrantur.

Quodsi itaque e. g. iura reipublicae circa rationes urbium definienda, si vrbs est libera vrbs, non dantur iura maiestatica circa rationes urbium, sed vrbs ipsa vi iurium vrbicorum rationes exigit et examinat: ast, si vrbs libera vrbs non est, omnino dantur iura reipublicae maiestatica circa rationes urbium, dum vi potestatis inspectoriae reipublicae competatius inquirendi, an urbium patrimonium bene vel male administratur, et, si praeterea iura vrbica competit reipublicae, vi eorum respublica, seu eius superior, non vrbs ipsa, exigit rationes ab administratoribus easque examinat. Porro, si vrbs est libera, quoad constitutionem nouorum membrorum collegii senatorii, nullum competit reipublicae ius vi iurium maiestaticorum: ast, si vrbs non libera, vi potestatis inspectoriae, sive iurium maiestaticorum, respublica providet ne talia noua membra constituantur, per quae vrbs et respublica detrimentum capere possint, et vi iurium vrbicorum, si ea reipublicae competit, non vrbi, seu collegio senatorio nomine vrbis, sed reipublicae competit ius constitundi noua membra collegii senatorii. Tandem, si vrbs libera est, ea independenter exercet iurisdictionem: si vero non libera est, ast in eo priuilegiata, quod ei competit iurisdictione, eam non independenter, sed dependenter a potestate ciuili reipublicae exercet, sive hinc exercet respublica iura maiestatica, quibus in hoc casu subiecta sunt vrbis priuilegia.

T A N T V M .

halle, Diss., 1766-67

ULB Halle
002 057 565

3



St

Retrov

B.I.G.



DE

HABITV VRBIVM
AD REMPVBLICAM
SECVNDVM IVS PVBLICVM
VNIVERSALE

PRAESIDE

DANIELE NETTELBLADT

POT. BOR. REGIA CONS. INTIMIS
ET PROF. IVR. ORDINARIO

P A T R V O S V O

DIE V. APRIL. MDCCCLXVI.

DISPVTABIT

AVCTOR ET RESPONDENS

IOANNES IACOBVS NETTELBLADT

ROSTOCHIENSIS.

HALAE,

STANNO SEYERIANO.

